Poëtae latini recentiores.

Majoris Eliae: Anagrammatum semicenturia.

Vratisl. 1634.

M. Eliae Majoris
Anagrammatum
Semicenturia.

Magnifico, Strenuo, Nobilissimo,
Amplissimo, Prudentissimoq;

Senatui Vratislaviensi:

Dominis & Patronis meis
incredibilem quendam in modum observandis & deamandis,

S. P.

Magnifici, Amplissimiqve,
Domini et Patroni,

Anno à salutiferis Jesu Christi natalibus, *CIↃ IↃ LXXVI, & sequente, ingens pestis in universâ Italiâ tam immaniter sæviit, ut in unis Venetiis (cæteras enim urbes taceo) septuaginta millia hominum, & in iis, excellentes medicos seu chirurgos duodesexaginta, è vivorum exterminaverit contubernio.* (Videatur Thuanus initio lib. 62.) *In eâ tristissimâ calamitate patriæ suæ, quid Illustris Comes*, Jacobus Zabarella, *Nobilis Patavinus, & in Academiâ Patriâ Philosophiæ Professor eminentissimus, cujus præclarissima, de re litterariâ, merita, apud omnes solidè doctos in confesso sunt, fecerit; ipse exponit, Præfatione in totum Logicorum operum volumen, ad Lectorem:* Quum enim *(inquit)* relictâ ob ingentem pestilentiam urbe in agrum secessissem, cunctisq; urbanis curis & negociis, & studiis expeditus in magno ocio essem; arti Logicæ revisendæ ac declarandæ me totum tradidi, & in eam operam totus incubui. *Simile quid, anno CIↃ IↃ LXXXV. quo pariter hanc Vratislaviæ urbem infestam habebat pestilitas, factum est, æternâ memoriâ dignissimo Viro,* M. Martino Weinrichio, *Præceptore meo, cujus summam in docendo industriam, pari fidelitate conjunctam, plurimi, iiq; eximii quondam - discipuli, mecum lubentissimè recordantur. Hic cum â Magnifico Clarissimoq; Viro, temporis sui Medico excellentissimo,* Johanne Cratone â Craftheim, *civitatis nostræ, ut veteres loquebantur, filio, Trium Sacratissimorum Augustorum*

Archiatro

Archiatro & Consiliario splendidissimo, instigatum se fuisse significasset, ut summi illius & Philosophi & Medici, Johannis Baptistæ Montani, Veronensis Medicinam mirè dispersam ac disparatam, colligeret, comportaret, & in unum quasi corpus coarctaret; superiore, inquit, anno, cum studiorum publicorum cursum in hac Repub., funesta lues, & contagia, quæ tum serpebant, interpellarēt, ut & adolescentes, civiumq; nostrorum liberos dimittere, & scholas intermittere cogeremur; in misero illo laxamento, post valetudinis curam, eam rationem inivi, ut, quantum omnino possem, negocium hoc tentarem, elaborarem, aliquid in iis, quæ antea minimè negligenter perlegeram. Hæc Weinrichius.

Præfatione in part. 1. Medicinæ Montani.

Pestilentia illa etiam, quæ elapso anno cIↃ IↃC XXXIII in nostram urbem tantâ rabie incurrerat, ut nunquam antea, his quidem in locis, immaniùs furere visa sit; imperatâ scholasticis nostris congregationibus ἀφέσει, ocium nobis, mihi, inquam, & collegis meis dilectissimis peperit: quod ocium si quis gratum nobis vel fructuosum magis, quàm necessarium fuisse existimat, vehementer errat. In hac operarum nostratium vacatione publicâ, etsi nec tam magna, nec tam præclara opera, qualia vel Zabarellæ illustre studium, vel Weinrichii incomparabilis sedulitas, emolita sunt, moliri potui: multa enim, potissimè verò pericula & domestica & vicinalia, machinas istiusmodi prohibuerunt: tempus tamen omne somno, segnitie, aut socordiâ mihi consumendum non esse, penitus intellexi. Eapropter, ut cætera prætercam, cùm, secundùm pietatis curam, ad Musas mansuetiores subinde me retulissem; quotdiebus propemodum

- - - gracili connectere carmina filo

Columella.

conabar. Quod ipsum eò faciebam lubentiùs, quò commodiorem hanc experiebar rationem esse avertendi, & quasi avocandi, â rebus tristioribus, animi: nec animi tantum, sed sæpè oculorum atq; aurium. Hoc igitur pacto nata sunt mihi pleraq; hæc, quæ in præsenti in lucem emitto, Anagrammata pariter, & Anagrammatibus clarandis, poëmatia. Pleraq;, inquam: adjunxi enim quædam jam antè diversis

temporibus mihi edita, certè scripta. *Ea nunc,* Magnificis Amplitudinibus Vestris, *mente, ut decet, submissâ, dedicatum eo,* meritissimo & Vestro, &, *ut reor,* meo. Vestro quidem: *ut Vobis vitam atq; valetudinem inter tot*

Casp. Barthius in quadã Elegia. - - - circumbacchantia mortis

Fulmina, - *divinitùs conservatam gratuler; simulq; singulares agam gratias, quod inter tot labores, curas, & verè (* Varronis *atq;* Cæsaris *voce) magna emolumenta, quibus hanc urbem (quod præfiscini dixerim) Germaniæ ipsius, nedum Silesiæ hujus ocellum, laudabiliter administratis, &, quantum in vobis, defenditis; Scholarum quoq; res non parvæ* Amplit. Vestris *curæ est: quas, sopito contagii metu, A. D. VII.* Id Martias, *Pietati & Musis denuò reserari, cum sapientissimè decreveritis; Sempiternum Numen, quibus possum, venerer, precibus, ut & diem intimatum illucescere feliciter, & ipsam rem,* suæ inprimis Majestati, *deinde* Vestris *etiam* Dignitatibus *gloriosam, & tam juventuti, quam toti Reipub. utilem atq; salutarem esse jubeat.* Meo autem; *ut Vobis ocii illius mei constet ratio; quam, non minùs ac negocii, reddendam esse, cum* Catoni *illi prudentissimo olim visum fuerit; pleriq; doctissimorum virorum, ut* Cicero, Justinus historicus, Columella, Symmachus, alii, *idem sibi factitandum jure atq; merito censuerunt. Hoc meum institutum, quemadmodum* Magn. Vestris Ampl. *probari; ita* Easdem, *clementissimi Numinis beneficio, non solùm diutissimè, sed & optimè beatissimeq; vivere, valere, Reiq; publicæ præesse, ac prodesse, cupio.*

Videatur Petr. Vict. lib. 22. Var. Lect. cap. 10.

Pro Archia.

Vratislaviæ: *Anno, quem* Ciceronis *si non verba, sententia tamen hæc exprimat:* IngenVæ artes res seCVnDas ornant; trIstIbVs Vero perfVgIVM præbent: *Dominica* Esto Mihi, *quæ incidebat in IV: Cal. Martias; qui dies ante annos sex & quadraginta, mihi; ante annos autem centum & quatuor,* Davidi Chytræo, *Theologo & Historico celeberrimo, natalis fuit.*

Magnif. Vestras Amplitud.

maximo colens & observans opere

M. ELIAS MAIOR, P. L. C.
Gymnasii Vratisl. Rector *& Professor, cæterarumq; ibid.* Scholarum Inspector.

1.
JESUS SALVATOR.
EROS, VITA, SALUS.

Est opus, *ætherii contra iram Patris*, Amore:
Vitâ opus est, *contrà diræ discrimina mortis:*
Firmâ opus est, *Erebi contra tormenta*, Salu-
Unde sed hæc nobis contingere posse putemus? [te.
Unicus atq; unus JESUS SALVATOR *abundè*
Hæc præstat. nam Jesus EROS *est*, VITA, SALUS*q*.

2.
EMANUEL.
LEVAMEN.

P*rægraviter premor: at ne viribus opprimar ullis,*
Quæso, mihi, EMANUEL, *suave* LEVAMEN *ades.*

3.
Ferdinandt Der Ander / Römischer Keiser.
Dieser ist der From-Reich ernand / erkand.

D*ites se numis, populis, regionibus, armis,*
Jactent, é Regum queîs, grege, cunq; lubet.
Quanquam nec dictis, FERDNANDI nobile Magni
Induperatoris culmen, *egere opibus,*

Sat.

Sat doceant, quos vel vincit, vel sustinet hostes
Tam varios, tanto tempore, totq; locis:
His censenda tamen non paulo opulentia major,
Quam MENTIS *clarat* COPIA LARGA PROBÆ.
Aut hæ Divitiæ *FERDNANDI* in corde morantur:
Aut fixum inveniunt nullibi in orbe locum.

4.

HENRICUS VVENCESLAUS.
EN CHARUS VIVENS LUCES.

Dux Monsterbergēsis & Bernstadiensis, Silesiæ Pro-Rex.

Principis exemplar præcelsi, Slesidos oræ
HENRICE, eximium WENCESILÄE, decus:
a) Trajanus *talis princeps audire volebat,*
Principem ut optasset subditus ipse sibi.
b) Alfonsus, *pelecani instar, cum sangvine vitam,*
Pro Grege, proq; sacrâ Lege, daturus erat.
Spartæ imis, mediis, summis charissimus, æquum
Et placidum præbens se, c) Polydorus erat.
Urbem tutatus meruit d) Cicero *ille vocari,*
Romano, patriæ primus, in orbe, Pater.
e) Helvius *ille, animus cui refractarius, olim*
Dum reicit sceptrum, nomina dura dedit,
f) Et pius audivit pater, & procerum pater, atq; bonorum,
Dante ipsâ titulos huic pietate, pater.
Vix habuit similem g) Pius *in ratione guberni,*
Quanquam hunc contulerint sæcula prisca Numæ.
Tam bene se gessit h) Probus *ille togaq; sagoq;,*
Res exornaret nomen ut ipsa suum.

 Mirificè

i) Mirificè sanctum fovit Rex Persa *popellum,*
Is, celebrem titulum cui k) meminisse *dedit.*
Delicium humanæ & mellitum gentis amorem,
Novimus historias nominitare l) Titum.
Novimus & variis exstare exempla libellis,
Dignorum ellogio talia plura Ducum.
Quorsus at ista, aliquis quærat, memorata feruntur?
Collata ut magè laus DUX, *tua,* CELSE, *cluat.*
Trajani, Alfonsi, Polydori, Tullii, & Helvî,
Atq; Pii, atq; Probi, Mnemonis, atq; Titi,
Virtutes omnes propè concurrisse videntur,
In perquam illustri pectoris arce tui.
Unde nec exponam sat, quàm tibi subdita terra, (met.
Te Dominum, *immò* Patrem *laudet, honoret, a-*
Quid multa? EN CHARUS VIVENS, Dux optime,
LUCES
Indole clementi, relligione, fide.

a) Trajanus Imperator civibus humanissimum se præbuit, ut eorum seriis jocosisq; rebus interesset, veniretq; in ædes eorum, interdum nullâ munitus custodiâ, ibiq; nonnunquam requiesceret. Johan. Xiphilinus in Trajano. *Cumq; eâ re ab amicis culparetur, respondit: Talem se Imperatorem esse privatis, quales esse sibi Imperatores privatus optasset.* Eutropius lib. 8.

b) Simon Pauli, par. 2. Dispositionis Evangeliorum, pag. 608. *Rex Alfonsus Symbolo suo, officia magistratus expressit. Habuit Pelecanum avem, rostro ex pectore sangvinem elicientem, & pullos vivificantem, cum inscriptione:* PRO LEGE, ET PRO GREGE. *Voluit significare, bonum principem etiam cum vitæ periculo, doctrinam religionis, & subditorum salutem & commodum defendere.*

c) Polydorus

c) Polydorus Spartanorum Rex fuit vir spectatæ virtutis, Spartanisq; omnibus, æquè summis ac infimis, & inprimis plebi charus, quod nihil unquam aut per vim ageret, aut diceret cum alterius contumeliâ, justitiam in totâ jurisdictione cum summa humanitate conjungeret, ob easq; res gloriâ in cunctâ Græciâ floreret. Pausanias in Laconicis.

d) Cato Tribunus pl. Ciceronis consulatum ita extulit concionibus suis, ut honores ei decernerentur omnium amplissimi, & Pater Patriæ appellaretur. Quod ei nomen tributum sanè est primo, quùm eum ita in concione nominasset Cato. Plutarchus in Cicerone.

e) Helvius Pertinax coactus imperavit, repugnansq; imperium suscipiens, tale cognomentum sortitus est. Aurelius Victor Epitome cap. 18.

f) Huic mortuo Divi nomen decretum est; ob cujus laudem ingeminatis, ad vocis usq; defectum, plausibus, acclamatum est: Pertinace imperante securi viximus, neminem timuimus, patri pio, patri senatus, patri omnium bonorum. Aur. Victor, loco dicto.

g) Antoninus Pius Imperator, tantæ bonitatis in principatu fuit, ut haut dubiè sine exemplo vixerit; quamvis eum Numæ contulerit ætas sua; cum orbem terræ nullo bello per annos viginti tres auctoritate solâ rexerit, adeò trementibus eum atq; amantibus cunctis regibus, nationibusq;, & populis, ut parentem seu patronum magis, quàm Dominum Imperatoremvè reputarent. Aur. Victor, ibidem cap. 15.

h) Probus Imperator verè probus, ita se & in toga, & in militia gessit, ut res ipsa nomen sequeretur. Pomponius Lætus lib. 1. Rom. historiæ.

i) Deus Artaxerxis animum ita flexerat ad tuendos & juvandos Judæos, ut non videatur unquam in genere humano alius monarcha erga Ecclesiam munificentior fuisse. Victorinus Strigelius, oratione de Esdra & Nehemia.

k) Artaxerxes

k) Artaxerxes dicitur μνήμων, *à præstanti memoriâ. Plinius libro septimo scribit de hoc Artaxerxe, quod habuerit cognitionem linguarum viginti, & potuerit cum omnibus subditis loqui sine interprete. Multum est, & magnum, & rarum quiddam, tenere sex aut septem linguas. Si quis hoc tempore sciat Hebraicè, Græcè, Latinè, Germanicè, Gallicè, Italicè loqui, & Hispanicè, quæ sunt septem distinctæ linguæ; is profectò ad miraculum doctus est in linguis. Sed ille tenuit linguas viginti, & potuit cum omnibus subditis familiariter loqui sine interprete. Ideò merito dictus est* μνήμων. Idem lib. 2. Scholarum Historicarum. *cap. 24.*

l) Titus Romanorum Imperator, Filius Vespasiani, vir omni virtutis genere ornatus, ut vulgò Orbis amor, & Delicium generis humani diceretur. Suidas in τίτος: Paulus Diaconus lib. 9. Histor. Miscellæ, cap. 8. Suetonius in Tito, cap. 1. Eutropius lib. 7. Breviarii Rom. Historiæ: Aurelius Victor, Epitome, cap. 10. & libro de Cæsaribus, cap. 10.

5.

GEORGIUS JAKUSSITH DE ORBOVA, LIBER DOMINUS IN OROSLANKEO:
Syllabis KUS, in CUS: & KE, in QVE, necessariò mutatis:
O UNGARIA, O GAUDETO, HIC LIBER DOMINUS SOL, IRIS, EROSQVE BONUS.

Studiorum causâ An. 1624. & 1625. Vratislaviæ commorabatur, Baro hic Vngaricus, indolis planè heroicæ, & verè IVVENTVTIS PRINCEPS.

UNGARIA O tellus, gaudeto O sensibus imis! (EROS.
HIC LIBER DOMINUS SOL BONUS, IRIS,

6.

SENATUS BRESLÆ VIVAT!
STA VALENS, VIRE BEATUS.

Qui Breslæ *cives & mœnia pulcra*, Senatus,
Consiliis sanis, dignâ & gravitate gubernas,

B *Sub*

Sub nova nunc - anni tibi dono exordia votum.
Quæ facies rerum, quæ forma est temporis hujus,
Magni instant motus, atq; omni ex parte pericla.
Auxilium precibus suadent exposcere cœli.
Forte alicunde igitur vis adversaria surgat:
Vis nonulla tuas valeat prosternere vires.
Forsitan exitium tempestas sæva minetur:
Nulla tui floris tempestas quasset honorem.
Cunctipotens Numen tua sit fiducia. Summo hoc
STAq; favente VALENS Genitore, VIREq; BEATUS.

7.

Consiliari9 Cæsareus, Ducatûs Vratislaviensis conjunctorúq; Districtuû Capitanea tui Præfectus.

ADAMUS SEBISCHIUS CAPITANEUS.
HIC CAPUT, SEU BASIS, IN MEA SUDAS.
Respub. Dn. Capitaneum alloquitur.

Jam propè lustra duo Titan confecit Olympo,
Sidere cum dextro, te, Majestate *probante*
Cæsaris ipsius, *prædulce CAPUTq; BASINq;*
Esse meam volui. Ex illo, Præclare *SEBISCHI,*
HIC CAPUT amplum, seu BASIS IN MEA commoda
Quid tibi pro meritis referam Respublica tantis? (*SUDAS.*
Ipse tuamq; fidem DEUS, exhaustosq; labores,
Fortunæ omnimodo melioris honore rependat.
Utq; etiam mihi sit porrò bene, pluribus annis
Faxit, ut & CAPUT, & BASIS IN MEA commoda SUDES.

8.

Senator Vratislaviensis, & Scholarum Præses.

CHRISTOPHORUS A POLEI.
CURO ARTES PHILOSOPHI.

Philosopho Plato *censebat regnante, beatas*
Urbes: PHILOSOPHI hinc ARTES ego CURO Senator.

Aliter

Aliter.

Publica res floret (Plato ait) *Sapiente Senatu.*
PHILOSOPHI hinc ARTES CURO Senator ego.

9.

STANISLAUS EICHEUSERUS.
ET IS UNUS SILESIÆ CHARUS.

Senator & Camerarius Reip. Vratislaviensis

Slesidos *ut* tractus (*procul ostentatio abesto*)
Telluris *inclutum est decus* Germaniæ:
Sic urbs Bresla, *virisq; potens, opibusq; celebris,*
Terræ *est ocellus inclutus* Silesiæ.
Urbis *at istius fulgens pupilla,* Senatus
Cives gubernat optimâ prudentiâ.
EICHEUSERE, hujus pars Ordinis ampla vocaris,
Atq; es tuo meritissimo. Num quis igitur
Ex numero illorum quoq; TE esse negaverit UNUM,
Qui sunt solo CHARI unicè SILESIÆ?

10.

STANISLAUS AICHEUSERUS.
ES VIVENS SALUS, CHARITAS.

De plurimis quisquis meretur tam bene,
Dignus ut amari judicetur omnibus;
Nominibus hunc variis beneficiarii
Deprædicantes nuncupant, Gratum decus,
Præsidium & umbram, & Anchoram sanctissimam,
Portum, Refugium, atq; Angelum, quin & DEUM.
Stemmate, Senator, querneæ incluto Domûs,
Simulq; multis laudibus præfulgide;

De plurimis tu promereris tam bene,
Dignus ut amari judiceris omnibus.
Quid ergo nominum beneficiarii,
Meritissimo tuo tibi adsignabimus?
Et cæteri tuis decent virtutibus
Tituli, & novos mereris insuper. Es enim
VIVENS SALUS, ES CHARITAS ipsissima.

II.

JOHANNES HOFMANNUS CÆSAREUS SECRETARIUS.

Consiliarius Cæsareus, & Cameræ utriusq; Silesiæ Secretarius.

ES, AC UNA ERIS NAUTA, FERENS RE MUSAS: HIC HONOS.

C*um* Xerxis *feritas densis perfunderet armis,*
Argivorum, *instar fluminis, omne* solum:
Non ausi sese cives lateramine muri
Servare, urbs Cécropis *queis habitata fuit;*
Durateis clausi cymbarum mœnibus, hostem
Viribus unitis sustinuére ferum.
Senserunt nostro geminum propè, tempore fatum,
Doctrinâ cultis Numina nota viris.
Quæ tot jam sæclis, sub Phœbi Præsidis umbrâ,
Monte Helicone *suum* Musæ *habuére thronum;*
Sedibus antiquis hac tempestate repulsæ,
Hactenus in terris non reperére locum.
Usq; adeò passim Mars *perdidit omnia dirus,*
Quosq; is præteriit, Pestis *acerba tulit.*
Quid facerent, cùm nec tegerent se culmine montis,
Nec spes Phœbéi præsidii ulla super?

Mens

Mens eadem cunctis intutâ excedere terrâ,
Et loca tranquilli quærere forte maris.
Ecce Patronorum pietas, *non passa vagari*
Longius est, placidas turbido in Orbe Deas.
Instruxére rates aliquot, Musisq; vocatis
Dixére, ingreditor, chara caterva DEO.
Nos nautæ ipsi erimus, *nos corpora vestra feremus,*
Ipsa per undisoni navibus alta maris.
Interea Irenes precibus placabitur æquis
Mavors, atq; Luis tela retundet hiems.
Tum vestrum ad regnum lætis rediisse licebit,
Atq; DEUM, atq; bonos voce hilarare homines.
Nautarum in numero, *qui nave tulére per undas*
Hactenùs, Aonii Numina clara jugi;
Tu quoq; Magne, *tuum nomen profitere,* Patrone,
HOFMANNE & MUSAS NAUTA ES ERISQ; FERENS.
Nec tibi res Musas videatur spreta fovere:
Quin reliquis lauri hæc jungito serta, hederis.
Hic tibi summus HONOS. Quas pergis FERRE, CAMOE-
Instituent gratæ præmia FERRE tibi. *(NÆ,*
Versibus, Æsonides *tollatur in æthera, vatum,*
Colchica *qui celebri* vellera *nave TULIT.*
REq; operaq; sacras qui MUSAS FERSq; FERESq;,
NAVITA, majori laude FERENDUS eris.

12.

THEODORUS GARTZIUS SENATOR. *Et Præses Scholarum Vratisl.*
CORDIS HORTUS TENET GAZAS RIVO.

Gartziaden dignum quid reddit laude perenni,
Quem, Proceres inter, Bresla venusta colit?

Ornamenta

Ornamenta Virum merito bene multa celebrant,
Præcipuè CORDIS *gloria mira boni.*
Ergo cor ipsius quidnam est? *pulcerrimus* HORTUS,
Aligeris genii ille, Deoq; placens.
Quæ ratio est horti? *spacio haut est septus inani,*
Sed TENET, *ingentis quod precii instar habet.*
Quid tenet? *Eximias* GAZAS; *quas qui tenet, unus*
Divitis egregiam rem, titulumq; tenet.
Quæ sunt Gazæ illæ? *Non quas dementia vulgi*
Metitur numis, aut locuplete penu.
Sed Sophiæ argentum, pulcrumq; Phroneseos aurum,
Sapphirusq; Aretes, Jaspis & Eusebies:
Sophrosynes adamasq;, Dicæsoynesq; Beryllus,
Omnibus & charæ gemma Philophrosynes.
Quî tandem Gazas tenet Horti gratia? RIVO;
Cui ditis cedit ripa beata Tagi.
Scilicet has tanti decoris, tantiq; valoris,
Possessor soli non sibi servat opes:
Sed formas hominum placidus derivat in omnes,
Et quêis ferre potest commoda, ferre solet.
O COR *pulcra micans! ô* HORTUS *amabilis! amplæ*
O GAZÆ! *ô miris* RIVE *adamate modis!*
Plura quid addam? O tu, cui tanta accepta feruntur
Munera, fac, solitâ pro pietate, DEUS;
Ut multis micet hoc annis COR, *floreat* HORTUS,
Suppeditent GAZÆ, RIVUS *amœna fluat!*

PAULUS

13.

PAULUS NEANDER SENIOR.
AN NON, PER LAUDES, VIRES?

Senator Vratislaviensis, & Scholarum Præses.

Candores brumæ nivei, Verisq; Virores
Graminei, decorant te, Venerande Senex.
An non per canos circùm tua tempora candes?
AN NON PER LAUDES, digne Patrone, VIRES?

14.

REINHARTUS ROSA VIVAT!
TU RARA ES IN HORTIS UVA.

V. I. D. Comes Palatinus, Cæsareus & Principalis Consiliarius, Reipubl. Vratisl. Syndicus, & Ducatûs Pro-Cancellarius.

Humanæ sedem si gentis, imagine pingas:
Consitus omnigenis vitibus hortus *erit.*
Ipsi homines quid erunt? Fructus, *quos* vinea *gignit.*
Quales? *haut unâ proprietate cluunt.*
Labruscæ *ingenium referunt pleriq;, referti*
Succo *immaturo multimodi sceleris.*
Uva *per hunc* hortum *rara est, turgescere verè*
Quam videas mentis divite rore bonæ.
Tu RARA, ô Reinharte, ES IN HORTIS UVA; proinde
Dignus voto, in se quod metagramma *tenet.*

15.

REINARTUS ROSA.
NOVIT RES RARAS.

Raro, sed & laudabili modo, gerit
Publica, *gerit* privata: *ne mirere:* RES
NOVIT etiam RARAS, Rosæ *a* pura indoles..
(a allusum ad nomen, Reine Art.)

In obitum

16.

V. I D. Consiliariū & Cancellarium Lignicensem.

In obitum Mariæ Baudisiados: ad Ejusdem Amplisʃ. Parentem. Dn. Godofredum Baudisium.

MARIA BAUDISIAS.
AB AMARIS DIVISA.

Jure doles graviter, Vir Consultissime, *cernens*
A Te DIVISAM *funere filiolam.*
Idem at DIVISAM *hanc* AB AMARIS *funere cernens,*
Jure etiam toto pectore ovare potes.
Quid facies? Cupies nisi dicere, Malle te in orbe hoc,
Esse tibi bene, quàm Filiæ in axe tuæ:
Majorem haut poteris plausu decernere planctum,
Quem pariunt sobolis funera utrumq; tibi.

17.

In funere Amplissimi hujus Viri, P. L. C. & Senatoris Erffurtensis.

ERNESTUS STIDA.
DEUS STRENA SIT.

Nondum anni duo sunt, quod strenam, STIDA, *poëtis*
Misisti nostris: Strena *remissa tibi est.*
Nunc, qui te gemimus terris abiisse, precamur,
Ut DEUS *in cœlis* STRENA SIT *ipse tibi.*

18.

ERNESTUS STIDA.
ISTE EST DURANS.

STIDÆ alii vitam, dederat queis carmine, reddunt.
ISTE *honor* EST DURANS. *cætera turba perit.*

In

19.

In Arithmeticam Integrorum, M. Johannis Broſcii, *Ordinarii Academiæ Cracovienſis Aſtrologi.*

JOANNES BROSCIUS.
NÆ NOBIS ROSCIUS.

A*uctoris-Libri*, Broſci clarisſime, *nomen*,
Fac, ne commonſtret pagina prima tuum.
Roscius in numeris *NÆ NOBIS jure voceris,*
Tam bene de numeris *ſcribere qui poteras.*

20.

CASPARUS CUNRADUS.
SUDANS CURO PARCAS.

Phil. & Medic. D. Reipubl. Vratisl. Phyſicus, P. L. C.

Vir medicus multis aliis præſtantior audit;
a) Mæonides *ſummo jure* poëta *canit*.
Nam vitæ is curat ducentia Numina filum,
Fataq;, *quod dixit* b) Plinius, ipſa regit.
Phœbei CONRADE, *chori nitidisſima lampas;*
Laus, Breslæ Hippocratum quemq; maneto, ſua.
Tu tamen ægrorum curaſti ita millia, Parcæ
Ut ſuſtentarint fila, ſecanda brevi.
Hinc poteris, SUDANS PARCAS *ego, dicere,* CURO;
Si de ſeſe ulli dicere vera licet.
Hinc meritis commota tuis, te BRESLA, DORINGO
Collegam, PHYSICO *junxit in* OFFICIO.
Summa: Aliis multis medicus præſtantior audit,
Præſertim PHYSICUS; *qualis,* AMICE, *cluis.*

a. Iliad. λ v. 514.
b. lib. 29. cap. 1.

Epicedium.

Die Seelige Fraw Anna Hermannin/ Geborene Hoffmannin.

Ei wir Armen hoffen ein gar annahend feins Erbe/ on mangel.

Vxor Dn. M. Mich. Hermanni, Diaconi ad D. Mariæ Magdal. obiit 6. Calend. Quint. 1626.

E*rgonè sors nostra* in misero qui degimus orbe,
Tam misera est, miserum ut nil magis esse queat?
Sic est. Sed quid tum? miseri, *& rerum omnium egeni,*
Omni haut degemus tempore in hiscè malis.
Quin etiam hoc dico: Miseri *& rerum omnium egeni,*
Longo haut degemus tempore in hiscè malis.
In cælo, ut spes est, patrimonium *habebimus ipso,*
Quod nobis meritus sangvine, Christe, tuo es.
Immò brevi, ut spes est, patrimonium habebimus (istud,
Quo nil in mundo pulcrius esse potest:
Quod sine defectu *suavissima gaudia præbet;*
Ut laticem ebullit fons sine fine suum.
Ergo, HERMANNE, *(ad te nam oratio pertinet ista)*
Serve DEI, *& vocis Præco diserte sacræ:*
Ceu reprehendendus minimè es, si funus Amatæ,
Te miserâ vitæ de ratione *monet:*
Sic fueris laudandus, idem si ob funus Amatæ,
Pectore concipies nil, nisi læta, tuo.
En tua nunc illud cepit patrimonium in axe,
Tantiq; hæredem *se stupet esse throni.*

Hancnè

Hancnè Tuæ minimè sortem grataberis, illi,
Optabas semper cui bonus esse bene?
Et te nobiscum manet id patrimonium in altis,
Hæredes *voluit quos* λόγος *esse DEI.*
An non solamen spes hæc tam vivida præstet?
Annon luctum animis cogat abire procul?

22.

JOANNES PILGRAMUS.
MUSIS GLORIA PENNA.

Medicus Vratislaviensis.

Mavorti gladius, MUSIS *sua* GLORIA PENNA.
Fortè is splendidior; blandior ista *tamen.*

23.

Nuptiis Dn Samuelis Kinneri, *P. & M. D.*
& Marthæ Bleischin:

celebratis 4. Id. Febr. 1632.

Anagrammata, ex Principum inter medicos nominibus.

PODALIRIUS.	SI PURA DOLI.
MACHAON.	HANC AMO.
ÆSCULAPIUS.	JUVAS, PLACES.

Cum quondam caperes, KINNERE, *egressus ephebis*
Consilium, studii de ratione tui:
Te tandem dixisse ferunt: Dignissima disci
Cuncta ars, quæ mentes non sinit esse rudes.
Sed cum vita brevis, longæ sint quælibet artes,
Et complecti animo nemo homo cuncta queat:
Theologis *operam navet, cuicunq; libebit:*
Cultorem inveniat Juridicina *suum.*

Artem ego, quam coluit PODALIRIUS, *atq;* MACHAON,
Si modò PURA DOLI *est*, HANC AMO; *pura doli est.*
Per te olim multosq; juvabo, placeboq; multis,
ÆSCLAPI; *ipse* JUVAS *me, mihi & ipse* PLACES.
Dixti: & continuò terrâ in Germaniâ, & oris
Italiæ ursisti, quod recreabat, opus.
Nec studii ulla quies tibi, donec purpura cinxit
Pulcra, CREMONINO CÆSARE *dante, caput.*
Hactenus hæc. Verùm quid te, KINNERE, *videmus*
Nunc fieri? Quænam nunc nova Hygéa placet?
WOTKIA *te cepit vultu, virtute, lepore:*
Hæc est, de qua, ad quam talia verba refers:
HANC AMO, *namq;* DOLI PURA *est. Ergò alloquor ipsam*
Tu me Martha JUVAS, *tu mihi Martha* PLACES.
Sic tu. Sed quo te affectu amplexatur Amata?
Quod dicis, dicit, quod facis, ipsa facit.
Te PURUM *ipsa* DOLI *quoq;* AMAT, *te affata subinde,*
Me, Kinnere, JUVAS *Sponse, mihiq;* PLACES.
O vos mutuò AMATE, JUVATE, PLACETEq; *vobis*
Longum! ita erit felix, quod precor, iste torus.

24.

Πϱοπεμπτικόν.

DANIEL BUCRETIUS JUNIOR.
NI COR TRIBUIS, NE VALE DIU.

Excellentissimi Viri Dan. Bucretii, Medici & Physici Vratislaviensis Filius: idem quoq; postea Med. D.

Daniel, Parentis Optumi Optumum Decus,
Cratonibus, Rudingeris, Duditiis,
Monaviis, & *cæteris, qui patriam*
Suis Budorgin *fecerint virtutibus,*

Illustriorem

Illustriorem in exteri soli locis,
Dixi, velut te arbusculam succrescere.
Nosti locum. Sed istud haut dixi malo
Exemplo eorum hominum, sonos qui melleos
Proferre lingvis assolent fallacibus,
Cum corde penito sentiant alia omnia.
Quales quidem homines sicut Erebi antra horrida,
Diris Achilles devovet justissimis.
Non, inquam, eorum hominum malos mores sequens, apud Homerum Iliad. I. v. 312.
Tibi sic dedi os meum, cor ut dederim haut simul:
Dixi, arbiter juratus ut fari solet.
Quod si dubius es, ô juvenis altâ indole,
Non obsto, quò cuncti minus dicant mihi:
NI COR TRIBUIS, *uti ora,* NE VALE DIU.
Tibi interim, mihi-suävis BUCRETI,
Quem splendidæ Camœnæ nunc amor jubet,
Silesiam mutare terrâ Noricâ,
Tibi interim dico, precorq; hoc unicum:
Quia COR *mihi* TRIBUISTI, *uti* OS, VALE DIU,
Daniel Parentis optumi optumum decus.

25.

In Danielis Gesneri *Laurum Doctoralem Medicam.*

DANIEL GESNERUS.
GALENUS REDIENS. Medicus laurandus.

GESNERO, Aonidum *in cœtu decreverat Auctor*
Phœbus, *cum titulo laurea serta novo.*
Jamq; aderat laurus frontem cinctura: sed ipso
De titulo, haut cunctis mens erat una novo.

Ausa

Æsculapium, Apollinis ex Coronide F. *Ausa* Coroniden Clio *appellare* reversum est:
Alter, Melpomenes *voce*, Machao *fuit*.
Pulcra Thalia, novus Podalirius *iste vocetur*;
Euterpe *ast*, Chiron *sit* redivivus, *ait*.
Terpsichore Hippocratem Jauranum *est visa vocare:*
Hinc Erato; *nobis esto* Avicenna redux.
Calliope; Rasis Silesius *audiat iste*:
Uranie, Noster *sit* Paracelsus, *ait*.
Ultima Musarum *hinc*, Antonius *ordine* Musa
Tertius, *â cunctis hic vocitetur, ait*.
Dicere desierant Divæ, *cum risit* Apollo,
Sermoq;, ait, quamvis haut placet iste parum:
Nulla tamen vestrum (dicenti ignoscite) lauru
GESNERI invenit nomina digna satis.
Talia ego inveniam; GESNERUM & versus ad ipsum,
Hoc titulo, inquit, ades condecorande novo.
Qui DANIEL GESNERUS eras, dicare GALENUS
Nunc REDIENS, tua nam nomina idomen habent.

26.

Celebratis Dantisci, 10. Mart. 1631.

Nuptiis Dn. Johannis Mochingeri, Ecclesiæ Dantiscanæ ad D. Catharinæ, Antistitis, & Gymnasii Rhetoris; & virginis Angelicæ Neriæ.

ANGELICA NERIA.
ANGELICA IRENA.

Sacræ, & ne-sacræ laus MOCHINGERE Camœnæ,
Prospera de tedis spero ego cuncta tuis.
Si nolent homines (licet hos hoc velle deceret,
Quando, sint Martis quæ bona, quisq; videt.)

Si nolent

Si nolent tamen (avertat DEUS optimus omen!)
Inter se HUMANA PACE frui & requie:
Ejus ope, ANGELICAM NERIAM tibi qui addit amanti,
ANGELICÆ IRENÆ fas tibi dote frui.

27.

Ad Dn. Johannem Gebawer, Reichenbachii Consulem designatum.. *Ann. 1628.*

JOANNES GEBAUER CONSUL.
BENE CENSUS, NOVA GLORIA.
ANNOS CLARUS O BENE VIGE.

Ut quondam imperii nosset viresq; virosq;,
Censebat *cives Roma opulenta suos.*
Sed fortunarum fuit ista recensio *saltem,*
Nec solidas animi respiciebat opes.
Reichbachii (quid enim? parvis componere magna,
Præferre & magnis parva aliquando licet.)
Reichbachii ut nuper præfulgens laude Senatus,
Consule vidit opus civibus esse novo:
Instituit censum *; sed quo solerter honoræ*
Ingenii & mentis discuterentur opes.
Ut ventum est ad te, Clarissime Jane Gebauer,
Produnt se ingenii multa talenta tui.
Doctrina, eloquium, præstansq; in carmine vena,
Prudentisq; animi munera, cura, fides.
Reichbachii hinc mirata viri Respublica dotes,
Tu mihi Consul eris, Jane Gebauer, *ait.*
Sic CENSUS BENE, sic nobis NOVA GLORIA: multos
Sic ANNOS CLARUS O BENE, Jane, *VIGE!*

Nuptiis,

28.

Celebratis 17. Iunii. 1625. Nuptiis, Dn. Georgii Flandrini, Civis Vratislaviensis primarii, & Virginis Dorotheæ Eben.

GEORGIUS, DOROTHEA.
Ei God hat Vorsorge.

Bellis, peste, fame sint tristia sæcula. Quid tum?
JOVA tori sociis PROVIDET IPSE piis.

29.

A. 1627. Dn. Jacobo Moravio, Rosenbergam in Borussiam, ad functionem Ecclesiasticam vocatum.

JACOBUS MORAVIUS.
JOVA ASSUM: CUR IBO?

Moravium *tacitâ compellans voce* Jehova,
Huc ades, *ajebat, fide* Jacobe *mihi.*
Moravius *contrà; JOVA, ASSUM, Maxime, dixit:*
Edicas servo nunc facienda tuo.
Hinc Dominus: *Te habuit sat tempore* Slesia *longo,*
Nunc Roseum *ad* montem *te properè ire volo.*
Ille, tuis merito præceptis obsequor, inquit.
Ast ad Montem IBO CUR Roseum, *alme Pater?*
Cui DEUS: ut spargas divini semina verbi,
Inducasq; hominum millia multa polo.
Sic confirmatus cælesti voce Jacobus,
Præpropero petiit rura Borussa *pede.*
Idq; ut sit felix fortunatumq;, precantur
Quiqui Moravium *debito amore colunt.*

Epithalamium.

30.

Epithalamium.

JOHANNES LUDOVICUS.

NONNE HIC DIU SALVUS?

Iohannes Ludovicus Tallinger, Iuris Candidatus.

Quem meritissimo amo, quem complexatur Apollo,
Cultoremq; fovent, quem sacra JURA suum:
Atq; â Mimmeriâ *qui nunc redamatur amatâ,*
NONNE DIU HIC SALVUS sit maneatq;, precer?

31.

Novis Sponsis, Dn. Samueli Reiselio, Civi Hirschbergensi, & Marthæ Waldtherin. *An. 1627.*

SAMUEL. MARTHA.

THALAMUS, MARE.

Quid SAMUEL dilecte mihi, dilecte Camœnis,
Sincerâ Sponso nunc tibi voce precer?
Ventorumq; *precor*, cœliq;, marisq; *favorem*,
Absq; malo malum remigiumq; *bonum*.
Sit sine naufragio *tibi* velificatio *felix*,
Ut teneas portum, *quem tua* rostra *petunt*.
Nil tibi commodius poteram nunc, Sponse, *precari*,
Est siquidem THALAMUS nil, nisi grande MARE.

Parodia Ovidiana,
ad idem Anagramma pertinens.

Navigat *omnis amans*, *& habet sua* vela *Cupido:*
Crede mihi, SAMUEL, navigat *omnis amans.*

32.

Nuptiis Dn. Johannis Windii, & Annæ Scholtziæ. *Goldbergæ celebratis 22. Febr. 1628.*

JOANNES VVINDIUS.
IN UNO JESU, DAS UNI.
IN JESU UNDAS VINO.

Complures videas Christi *sine* Numine, *carnis*
Unius impulsu jura subire tori.
Non mirum, læti *careat si munere* vini,
At miseris *horum lectus abundet* aquis.
Tu, Windi Neonymphe, *magis sapienter* IN UNO
JESU, DAS UNI *corq; fidemq; tuam*.
Quî malè sic cedet res? Undæ *fortè dolorum*,
Immineant thalamo, Sponse polite, *tuo.*
Quid tum? Crede mihi cernes mutarier UNDAS
IN JESU, VINO *lætificante torum*.

33.

factam, die Michaëlis 1631. In novæ Ædis Schvvotianæ consecrationem.
ÆDES SCHVOTIANA.
ESTO HÆC SANA DIU.

Tempore quo Breslamq; *urbem, totumq;* Ducatum
MARSCHVITIUS *summâ laude regebat* HERUS:
Sed moderabatur CAMERAM AICHHEUSERIA VIRTUS
Impigra, atq; HERBSTI *cura fidesq; cati:*
Illo sacra Ædes Schwotiano *condita in* agro *est*,
Impensas CAMERA *suppeditante bonas.*
Res in Mnemosynes tabulas referatur honoras,
Ut tantos norint postera sæcla viros.
Ipsa autem omnimodis ædes ut splendeat, ore
Vocem mecum omnes hanc, similesvè sonent:
Ædes quæ nuper Schwotiano *condita in* agro *est*,
Impensis Cameræ, *splendida* Bresla, *tuæ;*

Parjetibus

Parjetibus sartis tectis, & dogmate puro,
ESTO HÆC, dante DEI Numine, SANA DIU!

34.

EVA. VAE.
ADAM DAMA.

Vix interdictâ decerpserat arbore pomum,
Primorum Patris & Matris *iniqua gula:*
Numine ad æquum ambos subitò arcessente tribunal,
VAE clamavit EVA: ut DAMA timebat ADAM.

35.

HOMERUS.
HUMOR ES.

Jam Musarum hortos conseverat Auctor Apollo,
Hortos, queis toto pulcrius orbe nihil.
Una videbatur virtus HUMORIS abesse,
Conservaretur stirpibus unde vigor.
Haut meditatus Apollo diu, Mihi tu, inquit, adesto;
HUMOR ES, omne riges, dulcis HOMERE, satum.

36.

AETERNUM.
VER MANET.

Ver *viget, &* Maji *species formosa sereni* 5. Maji. 1631.
Hortos, atq; omnem floribus ornat humum.
O, qui dum natura sinit, dum tempora suadent,
Vernis *exhilaras sensum animumq; bonis;*
Hoc scito: Ista brevi mundi spectacla peribunt:
Pauci obeant soles, veris *obibit* honor.
Quod Paradisiacis olim degemus in hortis,
Metai, ÆTERNUM VER MANET absq; metu.

37.

ÆTERNUM.
TENEAMUR.

ÆTERNUM, est cujus TENEAMUR oportet amore.
Odit sese, adamans sæpè caduca nimis.

38.

PIETAS.
SAPIET.

Viribus, aggestisvè opibus, blandovè favori
Magnatûm, aut formæ fidere, desipere est.
Is SAPIET, PIETAS, quem temnere terrea rerum
Jusserit, inq; uno spem posuisse DEO.

39.

SAPIENTIA.
APIS. TINEA.

Mellificam volucrem, tineæ conjungito: proles
Prodibit, quâ nil pulcrius esse potest.

40.

JUSTITIA.
SAT VITII.

Mente hilari, si per mortalia corda liceret,
Hac admetirer præmia lance probis.
Sed cum sint rariq; probi, pluresq; maligni;
SAT VITII est: tandem punior ense malos.

41.

VERITAS.
TU ARIES.

Seu

Seu Dea, seu virtus humani pectoris audis,
Verum imis capiens sensibus, ore sonans:
Candorem ceu quisq; tuum amplexatur honestus,
Sic tandem immoto robore lætus ovat.
Arcem sæpè licet teneant mendacia firmam,
Munimen TU ARIES fortior omne ruis.

42.

CLEMENTIA.
IN ME CALET.

Ignosco fassis culpam, veniamq; precatis.
IN ME erga miseros cor placido igne CALET.

43.

NOBILITAS.
BIS IN ALTO.

NOBILITAS, verè talis, BIS fulget IN ALTO.
Lux est Virtuti, Lux etiam est Generi.

44.

TEMPERANTIA.
ITA PERMANET.

Legitimâ potumq; fruor ratione cibumq;.
Salva ITA vita mihi PERMANET, atq; Salus.

45.

VITRUM.
UTIMUR.

Ebriolos propter VITRI culpamus ABUSUM.
Si VITRUM UTIMUR, ut vox notat ista, bene est.

46.

CEREVISIA.

I, URE, I, SECA.

Eheu quàm medici vox illætabilis ægro est
Deposito, immitis quando ait; URE, SECA.
Eheu quàm Regis vox illætabilis orbi est
Oppresso, inclemens quando ait; URE, SECA.
Rursus at illius quàm vox lætabilis urbi est,
Qui Zythum è tostis frugibus igne parat.
Ne desit (dicit) vini ille vicarius humor,
I, puer, I, ferro ligna SECA, URE foco.

47.

EBRIETAS.

RITE ABES.

Temporè adibo bonos, aut invitabo sodales.
Sed tibi nil mecum est; RITE ABES, EBRIETAS.

48.

EPICURUS.

VIR PECUS.

Esse bonum summum cui turpis visa voluptas,
Naturâ fuerat VIR, PECUS ingenio.

49.

PESTILENTIA.

PIETAS LENIT.

Non tàm bruma, nec ars medicinæ, aut cura Senatûs,
Quàm PIETAS LENIT pestiferæ arma luis.

BELLUM,

50.

BELLUM, FAMES, PESTILENTIA.
PELLE FLETUM AB ISTIS. AMEN.

BELLUM, FAMES, tristisq́ PESTILENTIA,
Fecére, lacrumis ut hactenus diu
Plena omnia fuerint. DEUS, tandem hæc mala,
Et FLETUM, AB ISTIS qui oritur, immanissimum
PELLE bonus, & post lacrumas nos refice. AMEN,

FINIS.

ELIAS MAJOR.
ES ALII AMOR.

Dum, quod amas, nihil est, nisi quod simul est & honestum;
Sic honor ipse tibi es; Sic AMOR ipse ALII ES.

Viteberga, 12. Cal. Mart. An. 1615.
scribeb. Amicus & Commensalis,
JOANNES CAROLUS Wogesser,
Argentinensis Alsatus.

Versus, apud Demosthenem, Oratione de Coronâ:
μηδὲν ἁμαρτεῖν ἐστι θεῶν, καὶ πάντα κατορθοῦν.
nIL peCCare, & VbIqVe CVnCta, Vt DeCet agere, soLIVs DeI esse pVto.

VRATISLAVIÆ,
Ineunte M. Martio, Ann. 1634. imprimebat
GEORGIUS BAUMANN.